



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

Septem Dormientes. 27. Iulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

sus tuus flebilis, progressus tuus debilis, & egressus horribilis. Auctor Spec. Peccat. tom. 9. S. August.

SEPTEM DORMIENTES.

27. Iulii.

INgens hi Sancti Ecclesię negotium etiam **DORMIENTES** confecerunt VII. erant omnes germani fratres, quos Decius à patre fide minimè paternā proditos obstructo spelæo conclusit. Iverant secula jam duo & ampliùs, quando hæresis ab orco surrexit, quæ surrecturos olim à tumulo mortuos negavit. Somnium hoc esse, VII. hi, quos **DORMIENTES** dicimus, monstrarunt, qui tum in tempore sive à morte longâ, sive somno prodierunt. Illi noctem se unam dormisse rati, Decium adhuc somniabant. Quare **MALCHVM** ex suo numero adolescentem, quem ætas & morum suavis elegancia omnibus charum fecerant, exploratorem in urbem mittunt & com meatui præficiunt. Hic dum vigilare pro urbe Crucem videt, dum nullum tonare Jovem sed **CHRISTVM** audit, mirari unius noctis metamorphosin, & vel adhuc dormire, vel in alterum orbem aut certè urbem delatum se credere. Mox cum monetam antiquitate suâ incognitam protulisset, suspicionem reperti thesauri dedit. Hic ille apud Procos: ad Decium provocare, qui utique nosset adhuc, quem heri unâ cum fratribus, quòd **CHRISTO** militarent, balteo spoliasset. Obstupuit ad hæc urbis Antistes, & **MALCHVM** ad montem secutus è ruderibus æneas laminas, cum his rem omnem in lucem profert. Adest ipse Imp. Theodosius, quo spectante beati juvenes eodem loco longiùs jam dormituri oculos morte clauserunt: sed

sed cum sic mortuis etiam hæresis est mortua.
Ex variis apud Raderum in Aulâ S.

Cum te torpore, acediâ, vel tadio affici sentis, noli propterea desistere à studio spirituali; sed iuvantis require manum, trahi te obsecrans, donec denuo suscitante gratiâ factus promptior alacriorq; curras. S. Bern. serm. 22. in Cant.

SS. NAZARIUS & CELSUS MM.

28. Iulii.

HOs etiam flosculos barbarus Neronis gladius demessuit. Sed tamen sanguine suo rigati vivunt illi etiamnum in manibus tuis. Utinam & odorem virtutis sentias. Audi saltem. Spinæ rosam esse proximam ajunt, id quod NAZARIUS probat ex Judæo patre sed matre Christianâ genitus. Anceps diu in utrius religionem pedibus iret, demonstravit tandem plus matris se bibisse, fontique sacro admotus à Lino Pont. Mediolanum abiit. Ibi non multo tempore patrimonium omne in egenos effudit, cumque vinctis pro Christo animum faceret; mercedem nobilem magnique martyribus æstimatam fustuarium accepit. Sub hæc monitus à defunctâ matre in Gallias contendit. Hic à nobili matronâ nobilissimum puerulum CELSUM accipit inter bonas artes educandum. Quantam, Superi! indoles pulchra discit probo Magistro usa. Neronis imperio ad tribunal uterque raptatur. Dubito an Magistrum, an discipulum plus laudem. Ille pedum calcibus affigitur, nec tamen sibi, sed animulo suo CELSO timet. Hic virgis atrocem in modum cæditur, nec tamen sibi, imò oculo suo Magistro NAZARIO ingemiscit. Mox uterque illatam Christo injuriam

Q 5

in